

ista in objecto primario, speculative vel intuitive attingendo ipsum, quod non possit etiam abstractivè, aut etiam practice attingere objectum secundarium propter eminentiam actus, et illimitationem. Et sic abstractivum non est oppositum intuitivo in hac parte, quia nec versantur circa idem (abstractivum enim solum circa possibilia versatur) nec secundum limitatas rationes, et specificationes, quare una non compatiatur aliam, sed eminentiori ratione utrumque comprehendit. Unde exempla de visu externo non quadrant, neque ipso datur cognitio abstractiva, quia nihil attingit præsentialiter, et intuitive sive tamquam sensibile per accidens, quod tamen debet esse existens si a visu attingitur, absentia autem nullo modo attingit.

X. Ad secundam objectionem dicitur quod cognitio abstractiva non est necesse quod differat ab intuitiva secundum majorem claritatem et evidentiam intrinsecam quæ se tenet ex parte luminis et rationis formalis cognoscendi, nisi forte quando cognitio est dependens ab ipsis objectis, et ab eorum præsentiâ fortificatur et perficitur, ut in nobis. Cognitio autem divina nulla modo est dependens a creaturis. Unde per hoc quod intueatur creaturas futuras non fit illa cognitio clarior, et evidentior intrinsece, sed solum creaturæ redduntur ei coexistentes. Quando autem D. Thomas dicit Deum intueri res possibles in sua bonitate potius quam in sua potentia, non sumit illud verbum intueri in rigore intuitivæ cognitionis, ut distinguitur ab abstractiva, sed communi modo, quo omnem cognitionem certam vocamus visionem.

XI. Ad confirmationem respondetur, quod stando in priori solutione assignata præcedenti argumento,

intuitivum ex illa præcisa ratione qua distinguitur ab abstractivo non importat perfectionem simpliciter supra abstractivum, sed solum connotat existentiam objecti cum ipsa cognitione quod est aliquid extrinsecum sive extra genus notitiæ, ut loquitur D. Thomas, quod si intuitivum habeat majorem claritatem vel evidentiam in ipsa ratione formali attingendi suum objectum, quam abstractivum, tunc addet etiam perfectionem majorem simpliciter supra abstractivum, non ex præcisa formalitate intuitivi, sed ex aliqua ratione formali præsupposita vel concomitante, ratione cujus distinctæ perfectionis seu specificationis est ab abstractiva sicut contingere potest in nostra cognitione, quæ ab objectis pendet, vel ab eorum præsentiâ desumitur. Sic enim ratio formalis quæ in præsentiâ immediate ab ipso objecto desumitur, remoto objecto solet cognosci non immediate in se, sed mediante alio, et tunc variatur ratio formalis, non autem sola connotatio coexistentiæ vel absentiæ. In secunda autem solutione licet intuitivum dicat perfectionem, tamen abstractivum etiam dicit suam et utrumque competit Deo respectu diversorum sub eminenti ratione, sicut practicum dicit suam perfectionem, et convenit Deo respectu creaturarum simul cum speculativo.

XII. Ad illam autem consequentiam D. Thomæ quod si Deus inciperet videre creaturam in tempore, proficeret in cognitione, respondetur consequentiam illam esse legitimam, sed ex alio principio, scilicet quia ratio intuitivi consequitur et convenit cognitioni ut actus immanens est, e quidem constituit visionem in ratione visionis, nam licet supra abstractivum non addat distinctam specificationem, sed modum aliquem cum connotatione

existentiæ objecti cogniti, tamen quia hic modus et ista connotatio non fundatur in aliqua mutatione facta in creatura per actionem transeuntem sicut Deum esse creatorem, aut Dominum, quæ denominationes in tempore ei conveniunt ob novam mutationem creaturæ: sed intuitivum est connotatio seu modus actus immanentis ut immanens est, quia pertinet ad rationem visionis, et ita non fundatur in mutatione creaturæ, quæ sic per actionem transeuntem, sed in nuda respicientia objecti immanenter, ideo talis modus connotatio et habitudo debet ab æterno convenire ipsi actui immanenti, et non ex nova et temporali mutatione creaturæ resultare, alias actus immanens Dei dependeret a creatura; sicut etiam libera volitio sub connotatione liberi debet ab æterno convenire Deo, et non in tempore quia connotatio actus immanentis est, quæ est doctrina S. Thomæ supra, quæstione XIII, art. XVII ad III.

ARTICULUS II.

IN QUO ATTRIBUTO, ET MEDIO VIDEAT DEUS CREATURAS POSSIBILES?

I. Difficultas hæc de modo, et medio cognoscendi creaturas jam superiori disputatione tractata est. Breviter hic explicanda quantum attinet ad cognitionem possibilium creaturarum sub statu et conditione possibilitatis. Circa modum cognitionis, quidam censent Deum cognoscere creaturas possibles non solum in seipso ratione comprehensionis, qua se comprehendit etiam ut causam continentem omnem creaturam possibilem, sed etiam in se ipsis, ita ut cognoscibilitas quam ex se habent creaturæ possibles sit ratio motiva extrinseca seu terminativa specificans, qua Deus illas

cognoscit. Viam sternunt hi auctores ad cognoscibilitatem futurorum præsertim conditionatorum ratione intrinsecæ suæ veritatis sine alio motivo libero ex parte conditionatæ veritatis. Ea est scientia media.

II. Hi tamen auctores non negant creaturas possibles etiam cognosci a Deo utendo divinitate tamquam formali motivo cognoscendi ipsas, sed addunt etiam posse cognoscere creaturas non utendo re divina ut formali motivo, sed ipsa cognoscibilitate creata, ut immediate terminante cognitionem divinam independentem a divina ratione ut motivante (barbare dicimus) ut movente intellectum divinum. Creaturæ enim non uno modo sunt cognoscibiles, sicut nec Deus ipse, et in unoquoque objecto creato tot cognoscibilitates seu rationes cognoscendi multiplicari possunt, quod sunt diversi intellectus, aut potentiæ cognoscendi, et sic creaturæ cognosci quidem possunt per lucem divinam, et prout continentur, aut participantur ab essentia divina, vel in ejus comprehensiva cognitione complectuntur, et unico verbo, ut aliquid Dei sunt. Cæterum cum in se etiam cognoscibiles sint et habeant veritatem propriam et creatam fundatam ex propriis terminis, secundum hanc etiam dicunt cognosci a Deo immediate, et solum prius aspiciendo divinam naturam, eo quod ista cognoscibilitas, etiam secundum se attingibilis est, nec importat aliquam imperfectionem attingentia veritatis illius immediate in se, ergo Deum non latet qui omne cognoscibile videt lumine suo infinito. Aut assignetur quidnam imperfectionis importet, cognoscere creaturas immediate in se? Hic est punctus difficultatis, imo totus nervus oppositi roboris, si quod habet.

III. Nos cum majori theologorum parte oppositum dicimus. Et sine

dubio hanc partem docet D. Thomas in præsentis articulo VII, ubi inquit: « Quod dupliciter aliquid cognoscitur, uno modo in seipso, alio modo in altero, in seipso quidem cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis, in alio autem videtur id quod videtur per speciem continentis, sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi. Sic igitur dicendum est, quod Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in ipsis, sed in seipso in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. » Idem ex Augustino libro LXXXIII quæstionum, quæstione XLVI, docet ibi D. Thomas solutione ad primum. Verba Augustini sunt: Neque quidquam Deus extra seipsum intuetur. » Quod explicat solutione ad primum non esse sic intelligendum quasi Deus nihil quod extra se intueatur, sed quia id quod est extra seipsum non intuetur nisi in seipso. Et in tertio contra gentes, cap. LVI, ratione II et III, inquit: « Quid omnia cognoscit Deus, et non nisi per essentiam suam, » similiter ex D. Dionysio, cap. VII de divinis nominibus idem docet D. Thomas I contra gentes, cap. XLIX, ubi inquit: « Quod apparet Deum cognoscere seipsum quasi primo et per se notum, alia vero sicut in essentia sua visa. Quam quidem veritatem expresse Dionysius tradit in septimo capite de divinis nominibus dicens: Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia. Et infra: Divina sapientia seipsam cognoscens scit alia. Cui etiam sententiæ attestari videtur Scripturæ sacræ auctoritas, nam in Psalmo CI, de Deo dicitur:

Prospexit de excelso sancto suo, quasi de se excelso alia videns. » Hucusque D. Thomas. Qui etiam videri potest quæstione II de veritate, art. III ad V, ubi expressissime loquitur.

IV. Respondent auctores oppositi D. Thomæ et Dionysio solum excludere speciem repræsentativam creaturarum ab ipsis creaturis derivatam ad Deum. Et secundo, excludere D. Thomam speciem adæquatam ipsi creaturæ, hæc enim in Deo non datur, sed repræsentari dicunt creaturas per speciem quæ est Deus quæ se habet tamquam species totius continens creaturam tamquam partem, quod non tollit creaturam ipsam cognosci per suam cognoscibilitatem immediate affectam sine hoc, quod cognoscibilitas divina moveat ad illam tamquam formalis ratio vel res prius cognita, sicut per speciem totius videtur immediate pars in sua propria cognoscibilitate non ex motivo totius, quo exemplo utitur D. Thomas. Vel tertio, excludit rationem formalem specificam cognoscibilitatis creatæ, quæ sit ratio influxiva et perfectivi divini intellectus, non quæ sit terminativa, immediate tamen per se affecta, hoc enim singulare et proprium est cognitionis divinæ, quod ab objecto nullam habet perfectionem vel dependentiam, sed totum habet a principio, id est, a seipso ut est principium cognoscendi.

V. Sed contra responsiones istas stat littera D. Thomæ. Et in primis pondero illam conclusionem negativam S. Thomæ: « Quod alia a se Deus non videt in ipsis sed in se ipso in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. » Hæc enim sunt verba D. Thomæ in articulo VII hujus quæstionis, in calce corporis. Ergo non solum intendit D. Thomas excludere speciem derivatam a creaturis (res hæc erat

ita nota, ut otiose D. Thomas de ea disputaret, nec in eo articulo ea difficultas agitabatur, et sic diverteret a difficultate, non ei responderet) sed etiam intendit statuere, et declarare quod cognoscantur per aliquid amplectens et continens omnem creaturam, scilicet per essentiam suam. Si autem vellet excludere a Deo speciem derivatam ab objectis, sicut invenitur in nobis, incongruam probationem afferret, imo nihil omnino probaret per illam distinctionem videndi aliquid in se ipso vel in alio, si quidem stat bene accipere species a rebus et videre res in se ipsis immediate, sicut oculus immediate videt coloratum, et tamen accipit speciem ab illo, et e contra potest non accipere species a rebus et videre immediate, ut Angelus quando videt immediate lapidem vel leonem. Et e contra potest aliquid videri mediate et in alio, et per species acceptas a rebus, ut cum in speculo videtur homo, et similiter Angelus per suam substantiam cognoscit mediate intellectum suum, et per causam effectum, nec tamen accipit species a rebus. Ergo omnino impertinenter probaret D. Thomas excludi a Deo speciem derivatam a creaturis per illam distinctionem, in cujus utroque membro compatitur cognoscere per speciem acceptam vel non acceptam a rebus. Aliud est ergo species propria vel aliena, aliud petita a rebus vel non petita.

VI. Similiter secunda solutio non est ad mentem D. Thomæ, quia licet D. Thomas duplici exemplo explicaverit cognitionem rei in alio in communi, scilicet sicut pars cognoscitur ut contenta in toto vel sicut homo videtur in speculo non per speciem hominis sed speculi, tamen primus modus non potest ita accommodari Deo respectu creaturarum sicut secundus, quia in specie totius et par-

tis integratur cognoscibilitas totius et construitur ex cognoscibilitate partium, et solum comparatur ad partem ut includens et inclusum, et utraque cognoscibilitas tam totius quam partis se habent velut homogenee, et ejusdem ordinis cum pertineat ad idem compositum. At vero cognoscibilitas creaturæ et Dei non se habent homogenee, et ut ejusdem ordinis, nec integratur cognoscibilitas Dei ex cognoscibilitate propria creaturarum tanquam ex parte, sed cognoscibilitas Dei se habet ut continens creaturas, ita quod videantur in eo tamquam in continente se, et in alio, ut affirmat S. Thomas. Et sic oportet quod in eo contineantur tamquam in eminentiori continente et alterius ordinis: ergo non sicut totum et pars, sicut includens et inclusum, sed sicut res omnino distincta et eminens rem inferiorem et alterius ordinis, ergo non solum excludit speciem inadæquatam creaturæ, sed etiam speciem immediate, licet inadæquate repræsentantem illam. Patet consequentia, quia solum potest ponere speciem repræsentantem rem, quæ eminenter contineat creaturam tamquam rem inferiorem, sed in se illa creatura non habet cognoscibilitatem ita eminentem, nec fundat illam, sed inferiorem utpote creatam, et in infinitum ab ea distantem, ergo creatura prout contenta in repræsentatione illius speciei non attingitur immediate in sua cognoscibilitate, si quidem sua cognoscibilitas non est eminens, sed inferior, et attingitur in cognoscibilitate eminenti, si quidem ut contenta in alio non ejusdem ordinis, et rationis, sed eminenter se habente. Excludit ergo immediatam cognoscibilitatem creaturæ asserendo cognosci in alio eminenter, et non ut ejusdem ordinis continente. Et ita magis adaptatur huic exemplum de speculo et imagine, ubi similitudo

per quam res cognoscitur non fit immediate ab ipsa re, sed a speculo in quo continetur, ut docet S. Thomas quæstione VIII de verit. art. III ad XVII.

VII. Denique, tertia solutio non subsistit; si enim D. Thomas solum intendit tollere specificationem et rationem formalem influxivam, non autem immediate attactam, inquiri an intendat tollere solum rationem influxivam in genere causæ efficientis, an etiam in genere formalis objectivæ specificantis. Primum dici non potest, reincident enim in primam solutionem, quod scilicet creatura non immittat speciem effective in Deum, quod satis per se erat notum, nec disputatione indigebat, nec per hoc solum sufficienter explicaret D. Thomas quomodo cognitio Dei non dependeret a creaturis, nam esto non moveretur ab illis effective, restabat videndum an specificative: nam etiam formalis et specificativa motio aliqua causa est, quæ si non excluditur a scientia Dei, claudicaret doctrina D. Thomæ, sicut in Angelis species non immittitur ab objectis effective, sed infunditur a Deo, et tamen dependet cognitio eorum ab objecto, ut a specificante. Si dicatur secundum: ergo cum creatura cognoscitur a Deo, aliud objectum supponitur ut influxivum specificative seu motivum in cognitionem Dei, creatura autem solum se habet ut nude terminativum et materiale objectum: quomodo enim est objectum formale si formali influxu caret? Ergo qui negat specificationem seu formalem rationem influxivam in creaturis, negat consequenter omnem rationem objecti formalis et specificationis etiam extrinsecæ, si quidem non potest objectum aliquod esse formale extrinsece, nisi relinquat aliquem effectum formalem respectu ejus, cujus objectum formale est, hoc autem est influere in

fluxu aliquo, scilicet formali et specificativo extrinseco. Item si creaturæ non habent rationem formalem influxivam, sed pure terminativam, et extrinsecam, ergo supponunt totam rationem formalem influxivam esse ab alio objecto, quod intervenire debet ut creaturæ cognoscantur. Etenim omnis cognitio ex objecto paritur et potentia, ergo intervenire debet objectum influens, ut pariatur notitia. In Deo autem ubi realiter non paritur notitia, sed ipsa essentia intellectus et objectum notitia sui est, saltem intervenit objectum omnino intimum notitiæ, sicut in nobis objectum est influxivum. Ergo si creaturæ non specificant ut objectum influens, et cognitio creaturarum in Deo etiam est ab objecto, et potentia, sicut alia quæcumque cognitio, aliud est objectum influens specificative in hanc notitiam creaturarum, quam ipsæ creaturæ. Influxit ergo Deus ut objectum formale etiam ad cognoscendas creaturas, sed non influxit nisi ratione cognoscibilitatis suæ, et ut objectum est cognoscibile: ergo illud est objectum immediatum et non creaturæ ratione propriæ cognoscibilitatis, sed ratione cognoscibilitatis divinæ et specificative influentis.

VIII. Et licet ex dictis satis videatur declarari fundamentum hujus sententiæ, adhuc tamen amplius confirmatur et explicatur. Et quia totum pondus et punctus hujus difficultatis in eo consistit, an dicat imperfectionem aliquam cognitio creaturarum ratione propriæ cognoscibilitatis ob quam repugnet ipsi Deo, ideo hoc sufficit pro ratione attingere. Constat enim quod nulla potest in Deo imaginari cognitio, quæ non sit infinitæ perfectionis secundum essentiam, tam entitative in se, quam formaliter ut attingit objectum: ergo oportet quod objectum ejus primario et formaliter at-

tactum sit infinitum in intelligibilitate et esse, quia non potest esse perfectior formaliter aliqua cognitio quam sit ejus formale, et motivum seu specificativum objectum. Nec illa distinctio de objecto specificante per influxum vel per terminationem aliquid valet, quia si creaturæ solum sunt objectum formale terminative, Deus autem influxive, ergo in quacumque cognitione creaturæ prius supponitur Deus ut objectum influens, quam creatura ut terminans: ergo prius ut cognitum et attactum illa cognitione, quia infinitæ perfectionis cognitio est.

IX. Confirmatur, quia eadem res perfectius cognoscitur secundum quod perfectiori medio attingitur, et ad altiorem rationem formalem reducitur, sicut altiori modo cognoscitur res per intellectum, quam per sensum, et in intellectu tanto perfectius, quanto per altius medium, et causas magis altas, sed potest dari altius, et perfectius medium formale, quo exactissime cognoscantur creaturæ, quam propria ipsarum cognoscibilitas; ergo non utitur Deus illa tamquam ratione formali cognoscendi. Consequentia patet, quia nulla cognitio potest in Deo poni, quæ non sit summe perfecta, et per rationem formalem et medium perfectissimum, quod inveniri possit, ergo si potest dari perfectius medium formale, quam cognoscibilitas creata, illud tamen debet attribui Deo, quia solum debet attribui illud quod perfectissimam cognitionem, et perfectissimam rationem formalem cognoscendi importat. Minor vero probatur, quia formalis ratio cognoscendi creaturas perfectior est in ipsa cognoscibilitate divina quam in cognoscibilitate creata, si quidem se habet per modum veritatis primæ, quæ altior et perfectior est omni veritate creata; ergo perfectius cognoscun-

tur veritates creatæ per reductionem ad veritatem primam, quam per cognoscibilitatem creatam et propriam. Cum ergo ista sententia non neget Deum cognoscere creaturas ratione formali divina, et secundum quod in ipso continentur, sed dicit quod etiam ultra hoc cognoscit creaturas secundum propriam cognoscibilitatem tamquam ex ratione motiva formali, consequenter dicendum est quod ponit aliquam rationem formalem cognoscendi minus perfectam, quam ea quæ desumitur ex cognoscibilitate divina tamquam ex medio et ratione formali cognoscendi; hoc autem repugnat, quia solum potest attribui Deo cognitio summe perfecta, nunquam ergo habet aliam minus perfectam seu inixam medio formali minus perfecte.

X. Si autem dicatur, primam veritatem seu rationem formalem divinam nullo modo posse deservire Deo ut medium cognoscendi creaturas, neque ut rationem formalem motivam tendendi in illas, sed solum creaturas esse cognoscibiles a Deo ratione propriæ cognoscibilitatis, quam de se fundant sine alia ratione motiva influxiva et specificante, neque repræsentante, aut movente, contra hoc est, quia divina veritas et ipsa divina essentia est id a quo participatur omnis entitas et cognoscibilitas creata, et præhabet in se omnem perfectionem creatam, quidquid autem continet aliud potest esse ratio cognoscendi illud, sicut ternarium potest cognosci in senario, et pars in toto, et imago in speculo, et in universum quidquid cognoscitur non in se ipso immediate, sed mediante alio in quo continetur, dicitur cognosci mediante tali re in qua continetur. Si ergo res aliqua cognoscibilis est ut contenta in alia, non potest negari, quod